

et ne ecclesiae sibi a deo commissae aliquid detrimenti sustineant, diligenti studio providere, ideoque iustis petitionibus assensum adhibere nos convenit, qui ad hoc in beati Petri cathedra conspiciamur esse positi, ut quae bene statuta esse noscuntur auctoritate apostolica confirmemus. Proinde karissime frater Godebolde episcopo, Misennensi ecclesiae, cuius cura tibi a deo commissae est, salubriter providentes tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et tam ipsam quam omnia ad eam pertinentia ad exemplar praedecessoris nostri felicitis memoriae Johannis papae apostolicae sedis privilegio communimus. Statuimus ergo, ut quaecumque possessiones, quaecumque bona praefata ecclesia inpraesentiarum iuste et legitime possidet, aut in futurum tuo vel tuorum successorum annitente studio, concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis praestante domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Praeterea parrochiales terminos, quos Mesennensis ecclesia legitime usque ad haec tempora noscitur habuisse, per praesentis scripti paginam tibi tuisque successoribus confirmamus. Decernimus itaque, ut nulli omnino hominum liceat praedictam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut temerariis vexationibus fatigare, sed omnia tam vobis quam his quorum usibus deputata sunt, perpetuo cum integritate serventur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, quatenus hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholicae ecclesiae episcopus subscripsi. (L. M.)

Datum Remis per manum Aimerici, sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis et cancellarii, III. Kal. Novembris indictione X., incarnationis dominicae anno M°. C°. XXX°. I°, pontificatus vero domni Innocentii II. papae anno secundo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von weisser und blassrother Seide.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 28. fehlerhaft.

No. 46. 1137. 2. Oct.

P. Innocenz II. bestätigt die Grenzbestimmungen der Diöcesen Magdeburg und Meissen.

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabili fratri Chunrado Magdeburgensi archiepiscopo eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. In sede iustitiae disponente domino constituti ita nos convenit paternorum canonum decreta librare, ut nulli ecclesiae sua iustitia subtrahatur, nec de alterius incremento alicui possit indebite provenire iactura. Hoc nimirum intuitu, venerabilis frater Chunrade